

tanguam simplex affectus justitiae erga Deum ab omni injuria in Deum commissa abhorret.

5º. Cum habitus quilibet potentiae appetitiae primo ac proxime tendat in bonitatem finis, et propter hanc in objecta cetera; virtus quoque poenitentiae per suos actus fertur prius in bonum cui, videlicet in jus divinum salvum servandum, tanguam in objectum suum proprium et immediatum, ac postea peccatum bono illi contrarium praeceps ac generatim *odit*. Quod si peccatum praesens fuerit, excitatur maculae hujus eruendae desiderium. Porro suboritur *dolor* ex malo praesente, et *detestatio* seu voluntas efficax peccatum destruendi. Sequitur deinde *consultatio* de mediis, et commodiorum mediorum electio. Hec excipit *voluntas satisfaciendi* Ieso Deo, et semetipsum puniendi, qua voluntate malum poenae amatur. Denique *propositum* peccata quovis modo deinceps vitandi, totam actuum istorum seriem claudit. Ad quam quidem actuum plurimum consecutionem poenitentiae habitus absolute et in tota sua latitudine spectatus sese extendit.

Si autem pressius, ut in praesens consideratur poenitentia, prout in peccatum fertur per modum resipiscientiae, tristitiae, atque detestationis laboriosae, quae respiciat malum quodammodo praesens; actus ejus tendunt in peccatum tantum a nobis aliquando admissum, et quodammodo adhuc perseverans vel ratione maculae habitualis, vel ratione reatus, pro quo nondum satisfactum sit, vel denique ratione denominationis extrinsecuae, qua vere dicitur olim fuisse a nobis perpetratum, licet quoad maculam et reatum sit jam expunctum.

13. Obj. I. Poenitentia proxime versatur circa destructionem peccati, quam potissimum intendit; ergo objectum poenitentiae proximum et immediatum non est peccatum.

R. N. Cons. Ut objectum aliquod materia proxima virtutis esse dicatur, sufficit, hanc per actum aliquem circa illud immediate versari: at poenitentia per actus suos elicitos displicantiae ac tristitiae proximeaversatur peccata. Deinde si bonum ut obtinendum dicitur esse proximum objectum intentionis, seu spei, aut desiderii, cur non etiam respectu intentionis poenitentiae peccatum, ut destruendum, sit objectum actus illius? Neque enim ibi sunt proprie duo objecta, sed unum cum respectu ad subjectum, cui obtinendum est, vel a quo est expellendum. De formali autem intentione vel expulsione loquor, de qua procedit objectio: nam respectu subjecti vel mediorum alia ratio esse potest.

Inst. Quando detestor peccatum, quia jus Dei violat, simul amo aequalitatem cum jure divino, quod peccato tollitur: atqui idem actus nequit esse amor et odium; ergo per actum poenitentiae mediate tantum detestor peccatum.

R. D. M. Exequationem juris divini simul amo formaliter N. virtualiter C.

D. etiam assumpt. Idem actus nequit esse amor et odium formaliter et respectu eodem C. virtualiter ac diverso respectu N. Potest etiam duplex actus esse, quorum prior sit voluntas satisfaciendi et compensandi illatam Deo injuriam, unde actus subsequens, aversio a peccato, imperetur: ubi nihilominus uterque actus ferretur in idem motivum formale, nempe in aequalitatem cum divino jure.

14. Obj. II. Peccatum actuale praeteritum non amplius est: quod autem non est, non possum retractare; ergo poenitentia non retractat peccatum praeteritum.

R. D. M. Peccatum praeteritum amplius non est actu et physice C. non est habitu ac moraliter N. In peccato sunt actus et malitia. Actus gignit habitum vitiosum inclinantem ad actus similes. Malitia post se relinquit culpam habitualis, et reatum poenae. Culpa habitualis complectitur maculam, offendam, et injuriam. Et macula quidem est duplex animae peccataricis deformitas: altera, quae consistit in respectu ad actum peccati praeteritum moraliter permanentem; altera est privatio gratiae, ut habet S. Thomas 1. 2. q. 86. a. 1. Offensa vero in eo sita est, quod homo per voluntariam defectionem a Deo, ipsi dispiceat, et amicitia ipsius indignum se reddat. Inuria autem, quod violetur jus divinum, quo tenetur homo Deo fini ultimo plus adhaerere, quam creaturis. Denique reatus est ortum ex peccato actuali morale debitum subeundi poenam. Ex hisce habitus vitiosus physice haeret in peccatore, cetera moraliter, vere tamen, et sunt omnia cum actu ipso praeterito adhuc objective menti obversante objectum materiale proximum poenitentiae, quae illa aversatur, et quibus potest modis conatur abolere. Ac licet habitus peccati, ac reatus etiam omnis essent sublati, justus tamen poenitens odit adhuc peccatum aliquando a se admissum, de actu hoc tristatur, optatque, nunquam illud a se admissum fuisse, quo modo illud detestatur et retractat.

Inst. 1. Peccatum habitualis non est liberum, cum necessario sequatur ex actuali; ergo non est objectum poenitentiae.

R. D. Ant. Peccatum habitualis non est liberum antecedenter N. consequenter C. Qui deliberate eligit transgressionem legis, etiam culpam habitualis et reatum censemur velle. Quanquam et ista ambo liberum sit peccatori tollere; cum Deus poenitenti veniam spoponderit.

Inst. 2. Si peccatum habitualis est objectum proximum et immediatum poenitentiae; ergo etiam peccatum originale erit tale objectum, cum et ipsum sit peccatum habitualis.

R. N. Illat. Peccatum habitualis est homini voluntarium per proprium actum: et ideo vere pertinet ad poenitentiam praeceps considerafam, ut exercet actum contritionis et retractionis facti prioris. Peccatum autem originale non respicit actum proprium, per quem sit voluntarium. Igitur pertinet tantum ad poenitentiam largius sumptam, quae est simplex affectus justitiae ad Deum, et odit omnem statum injustitiae, quacumque ratione contractum.

ARTICULUS IV.

UTRUM OMNE PECCATUM SIT OBJECTUM VIRTUTIS POENITENTIAE?

15. Nota. Dubitationem istam S. Thomas q. 96. a. 1. ita proponit: *Utrum per poenitentiam omnia peccata removeantur?* ac duobus modis, ait, intelligendum hoc esse, uno, an omnis peccator possit agere veram poenitentiam; an vero ob multitudinem et gravitatem peccatorum quidam ita a Deo desertantur, ut nunquam sint auxilium gratiae ad recte poenitendum habituri?

Altero, an tanta detur peccatorum multitudo aut enormitas, ut, licet quis veram agat poenitentiam, haec tamen non sufficiat ad peccata illa tollenda? Prior quidem quæstio decisa jam fuit in 1. 2. et in 3. partem, cum tractaretur de gratia et meritis Christi: nam si ex Christi meritis omnibus adultis detur gratia ad salutem assequendam sufficiens, etiam peccatoribus ea datur ad pœnitendum de peccatis utcumque ob copiam vel atrocitatem enormibus; cum sine poenitentia salutem obtinere non possint.

Restat ergo hic solum decidenda quæstio posterior, ubi passim reprehenduntur Novatianus et ejus sequaces Cathari aliqui heretici, quod docuerint, aliqua Christianorum peccata post baptismum commissa deleri per poenitentiam non posse: et hujus erroris testes citantur Epiphanius heresi 39., Theodoreetus in epitome divinorum decretorum cap. penultimo, Cyprianus epist. 52. In eodem errore dicuntur fuisse Montanistæ et cum ipsis Tertullianus.

Verum, ut recte advertit Suaresius disp. 8. sect. 1. n. 3. heretici isti, quando graviora peccata idolatriæ, homicidii et adulterii per poenitentiam non remitti posse dicebant, sacramentum absolutionis putaverunt, non vero poenitentiae veræ virtutem. Quod pluribus ex locis demonstrari potest, aliqua hic producam. Tertullianus jam Montanista libro de pudicitia, quem contra Catholicorum disciplinam scripsit, cap. 2. (opp. p. 536. C.) Delicta, inquit, dividimus in duos exitus. Alia erunt remissibilia, alia irremissibilia. Et c. 18. (p. 571. A.) Quod si clementia Dei ignorantibus adhuc et infidelibus competit, utique et poenitentia ad se clementiam invitat, salva illa poenitentiae specie post fidem, quæ aut levioribus delictis veniam ab Episcopo consequi poterit, aut majoribus et irremissibilibus a Deo solo.

De Novatianis autem scribit Socrates, et ipse Novatianus L. 4. Hist. Eccles. c. 13. (al. 28.). Novatianus ad omnes Ecclesias scripsit, ut lapsos minime ad mysteria admitterent, sed hortarentur ad penitentiam, remissionemque permitterent Deo, qui potest et habet auctoritatem peccata remittendi. Et B. Ambrosius L. 1. de poenitentia, c. 2. n. 6. (opp. t. 2. p. 391. B.) de eisdem Novatianis non absolventeribus a peccatis illis gravibus, aiunt, inquit, se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent.

Post hosce, seculo XIV. mediante, Richardus archiepiscopus Armachanus L. 9. quæstionum Armenorum cap. 27. tradidit, probabile esse, ob quædam ingentia crimina non posse veniam impetrari, etiamsi peccatorem vere penituerit.

16. *Dico*. Certum est, omnia peccata, etiam post baptismum commissa, utut multa sint aut atrocia, per veram poenitentiam expiari. Hæc thesis certa est omnibus Theologis Catholicis, ejusque oppositum S. Thomas dicit esse erroneum, Suaresius hereticum, eo quod Conciliorum definitioni repugnet, et sensui communii Patrum.

Prob. 1^a. pars ex Lege vetere et nova. Sapientia Adamum custodivit, ne mox in peccato suo moreretur et interficeret, Sap. 1. v. 2. et eduxit illum a delicto suo, inspirando illi poenitentiam, qua veniam peccati obtinuit, ut Patres omnes unanimiter docent contra Tatianum, cui heretico solus Ruper-

tus L. 3. in Gen. c. 31. (opp. t. 1. p. 24. Edit. Venet. 1748.) adhaeret. Quare etiam cap. 11. v. 24. mox additur: *Misereris omnium... et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam*: patienter exspectas, donec poenitentiam agant, et veniam consequantur. Ac propterea Cain tam graviter reprehenditur, quod veniam desperaverit, Gen. c. 4. v. 13.

Postea Jerem. 18. v. 8. Deus ait: *Si poenitentiam egerit gens illa a malo suo: agam et ego poenitentiam super malo quod cogitavi, ut facerem ei*. Isaiae 53. v. 7. *Derelinquit impius viam suam... et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus*, etc.

In Lege nova prædicatur poenitentia tanquam fructuosa et necessaria ad remissionem peccatorum, Matth. 3. v. 2. et 4. v. 17. *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*. Luc. 13. v. 3. *Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*.

Petrus peccati post baptismum acceptum commissi veniam poenitendo consecutus est, Luc. 22. v. 32. Et Act. 8. v. 22. Simonem magum jam baptizatum, ad poenitentiam agendum hortatur, spem veniae ipsi exhibens. Sed et Apostolus Galatas post baptismum lapsos, et Corinthios itidem baptizatos, ac præsertim illum incestu contaminatum ad poenitentiam provocat epistola priore, et veniam peccatorum ob poenitentiam datam scribit epistola 2. c. 2.

Testimonia Scripturæ alia, uti et Patrum supra non pauca jam sunt allata.

Prob. 2^a. pars ex verbis Christi Joan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: ubi Christus potestatem indefinitam remittendi peccata Apostolis impertit; ergo nec nos oportet illam arctare ad unicum tantum lapsum, aut unam et alteram duntaxat remissionem.

Idem clarius exprimitur apud Matthæum. Nam cum Christus conditionem posuisse c. 6. v. 14. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra*: et Petrus c. 18. v. 21. rogaret: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies?* Dicit illi Jesus: *Non dico tibi, usque septies; sed usque septuages septies*. Ubi numerus ille pro indefinito ponitur, indicaturque infinita Dei misericordia, quæ hominem penitentem semper in gratiam recipit, ut in illum locum adnotarunt SS. HIERONYMUS, HILARIUS cap. 18. n. 10. (opp. t. 1. p. 760.) et CHRYSOSTOMUS hom. 62. (opp. t. 7. p. 611. A.) Et homil. 2. in Ps. 50. circa principium (opp. t. 5. p. 386. A.): *Peccasti? inquit, penitere; millies peccasti? millies penitere*. Ac deinceps late confirmat, neminem dum vivit, ab hoc remedio exclusum esse. Eadem repetit hom. 24. et 40. ad populum. Et apud Nicephorum L. 12. hist. c. 36. idem CHRYSOSTOMUS. *Vel decies millies per poenitentiam resipiscens*, inquit, *Ecclesiam ingredere, ego paratus sum penitentes admittere*. TERTULLIANUS de Poenitentia c. 7. (opp. p. 123. D.) *Nemo*, inquit, *deterior sit, quia Deus melior est, totiens delinquendo quotiens ignoscitur*. Et paulo ante c. 4. *omnibus delictis... qui poenam per iudicium destinavit Deus, idem et veniam per poenitentiam sponpondit*.

Consentiantur his S. Dionysius Corinthius apud Nicephorum L. 4. hist. c. 22. Damascenus L. 2. Parallelorum c. 83. et Hieronymus epist. 46. et 48.

Prob. 3^a. pars. Ezechielis 18. v. 22. Deus peccatori ad poenitentiam et ad mandatorum observationem converso ait: *Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordaber: in justitia sua, quam operatus est, vivet*. Et

c. 33. v. 12. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Atqui ibi recensentur peccata gravissima idolatriæ, homicidii, adulterii. Ps. 50. v. 19. *Cor contritum et humiliatum Deus non despiciens.* Zach. 4. v. 3. *Convertimini ad me: et convertar ad vos.* Deut. 4. v. 29. *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris et tota tribulatione animæ tuae.* Et c. 30. v. 4. *Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus.* Testimoniorum talium plenæ sunt sacrae paginae, quibus Deus pœnitentibus veniam peccatorum citra restrictionem promittit. Atqui indignum foret, pollicitationes amplissimas dandæ veniæ a Deo factas restringi ab hominibus sine sufficiente ratione; cum ad gratiam pertineant, quæ extenda magis, quam coarctanda omnibus videtur, præsertim in lege gratiæ, ubi *misericordia superexaltat iudicium*, Jac. 2. 13. hoc est, jactat se, effert se, gloriatur et cervicem extollit adversus iudicium, prout secundum phrasin græcam, κατακαυχάται Ἰησος χριστεως, legunt Augustinus epist. 29. *superexultat iudicium*, et epist. 89. *superexultat iudicio: cum Beda, Erasmo, Gagnoio, qui ita legendum esse suscipiantur.*

Hanc divinæ pietatis abundantiam Christianis commendat B. Joannes epistola priore c. 2. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum justum: et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Ubi peccatores in spem veniæ erigens, nullum genus peccatorum, quantumvis enormium, nullam eorum copiam excipit, ut SS. Hieronymus L. 2. contra Jovin., Basilius L. 2. de Pœnit. c. 4. monent.

Sed et exempla in novo Testamento id evidenter evincunt. Nam eadem peccata, quæ hæreticis irremissibilia videbantur, remissa fuisse legimus, ut in Evangelii negatio Petri: incestus ille turpissimus 2. Cor. c. 2. et 7. Et posteriore ad Timotheum c. 2. v. 25. jubet Paulus monendos esse hæreticos, si forte Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis.

Confirmantur dicta hactenus ex usu perpetuo Ecclesiæ, quæ peccatores quoslibet ad pœnitentiam admisit. Tertullianus Montanista L. de pudicitia, c. 9. in Zephyrinum Papam et Catholicos invehitur, quod *mæchiam et fornicationem pœnitentia donent.* Ex can. 8. Conc. Nicæni I. novimus lapsos in idolatriam, post exactam pœnitentiam præscriptam, venia donatos, et in Ecclesiæ communionem fuisse receptos. Hosce, uti et alios gravissimos peccatores in Ecclesia primitiva post præscriptam pœnitentiam, veniam consecutos fuisse testatur Eusebius L. 5. Histor. c. 2. et L. 6. c. 34. Accedunt Concilia MILEVITANUM, ARAUSICANUM, et LATERANENSE sub Innocentio III. cap. 1. (Labb. t. 11. p. 144. A.) *si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam semper potest reparari.* Et TRIDENTINUM Sess. 6. cap. 14. et can. 29. et Sessione 14. tota: ut et ea, quæ Gratianus in decretis de Pœnitentia, et distinctione 50. in hanc rem profert testimonia Patrum. Inter quos S. HILARIUS cap. 18. in Matth. n. 10. (opp. t. 1. p. 760. D.) *Neque fas est, inquit, nos et præscripto legis, dandæ venie numero concludi, cum per Evangelii gratiam sine modo nobis a Deo fuerit indulta.* S. AMBROSIUS L. 2. de pœnit. c. 4. n. 26. (opp. t. 2. p. 422. B.) *Omnibus conversis (Ecclesia) pollicetur veniam, quia scriptum est: Omnis, qui*

cumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. S. HIERONYMUS in epist. ad Oceanum, de digamia (epist. 69. al. 83. n. 1.) *Frustra, inquit, mortuus est Christus, si aliquos vivificare non potest,* etc. Et S. AUGUSTINUS id, quod L. 1. de sermone Domini dixerat, esse peccatum, quod remitti non possit, L. 1. Retractat. c. 19. n. 7. ita corrigit: *Addendum fuit si in hac tam scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam: quoniam de quocumque pessimo in hac vita constituto non est utique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.*

17. Obj. I. Matth. 42. v. 31. ait Christus: *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemie non remittetur.* Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum (qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum Marc. 3. v. 28.), non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro; ergo peccatum aliquod pœnitentia expiari non potest.

R. D. A. Blasphemia in Spiritum sanctum non remittetur, quia absolute per pœnitentiam expiari nequit N. quia difficilior est pœnitudo de hoc peccato, quam de cæteris C. Hic duplex quæstio movetur.

I. Quoniam sit hoc peccatum blasphemie in Spiritum sanctum? Præteritis autem Patrum quorundam et Scholasticorum expositionibus, probabilius cum S. Athanasio in libello de hac re scripto (al. epist. 4. ad Serapionem, opp. t. 1. parte 2. p. 556. et seqq.) et orat. 2. in Arianos: cum Chrysostomo homil. 42. in Matth., Hilario, Hieronymo, Anselmo, Theophylacto, Beda in c. 12. Matth., aliisque Patribus dicendum, probabilius illos in Spiritum sanctum blasphemare, qui Spiritu sancto illustrante cognitam veritatem manifestam improbant ex malitia, et signa ac prodigia virtute Spiritus sancti facta malo dæmoni tribuunt. Hunc loci illius sensum esse constat ex occasione qua Christus id dixit, et ex causalí, quam Marcus adjungit: *Quoniam dicebant: Spiritum immundum habet.* Id nimurum est Spiritui sancto resistere, ut alii in locis Scriptura loquuntur: nam Spiritui sancto tribuitur operatio miraculorum, 1. Cor. 12. v. 9. et seqq., et illustratio animorum ad cognoscendam veritatem, Joan. 16. v. 13. At vero blasphemia in Filium hominis erat eorum, qui opera Christi, quem merum hominem esse putabant, calumniabantur, dicentes: *Ecce homo vorax, et potator vini,* Matth. 11. v. 19. De horum numero se fuisse scribit Paulus 1. Timoth. 1. v. 15. *Prius blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci.*

II. Quæstio altera est, cur peccatum in Spiritum sanctum irremissibile dicatur? Ad quam optime omnium respondent SS. Athanasius, Hilarius, Hieronymus, Anselmus in dictum locum Matthei, peccatum quidem istud vere pœnitentibus remissum iri, tamen peccatores tales ad pœnitentiam nunquam perventuros, quod justo Dei iudicio deserti, et in sensum reprobum dati sint. Quam sententiam nonnihil attemperant SS. CHRYSOSTOMUS in eundem locum, et AMBROSIUS L. 2. de pœnit. c. 4., aiuntque fortasse nonnullos ex Judæis hisce, quos Christus reprehendebat, Christi et Apostolorum prædicatione conversos ad pœnitentiam, et salutem consecutos fuisse. Igitur secundum horum doctorum expositionem, peccatum in Spiritum sanctum non remitti dicitur, quia ordinarie et ut plurimum est incurabile,

idque primo ex parte subjecti, nam talis peccator directe resistit et repudiat gratiam Dei : quemadmodum morbus illius dicitur incurabilis, qui medicamentum unicum, quo curari posset, respueret. Deinde ex parte actus, cum peccatum tale non ex ignorantia aut infirmitate, sed ex mera malitia commissum excusari nequaquam possit, nec misericordiam mereri. Peccato tali plures haeretici laborant, qui veritatem ex Scriptura et Patribus sibi perspectam de industria oppugnant, odio, invidia, aut commodis privatis inducti.

Aliam etiam ob causam S. JOAN. CHRYSOSTOMUS blasphemiam in Spiritum sanctum ait esse peccatum irremissibile tam in hoc, quam in altero seculo : Deus enim quædam peccata dissimulat in hac vita, ut in altera plectat ; quædam in hac vita punit, ne puniat in altera : peccatum vero in Spiritum sanctum in hoc et in futuro seculo punit. Sicut Iudeis accidit, quos in hac vita Hierosolymorum excidio, atque innumeris aliis malis afflixit, et postea damnatione æterna.

Inst. 1. S. Joannes epistola 1. c. 5. v. 16. scribit : *Est peccatum ad mortem : non pro illo dico ut roget quis.* Peccatum autem, pro quo remittendo non licet rogare, non est objectum poenitentiae; ergo aliquod peccatum non pertinet ad poenitentiam.

R. N. Supp. Quod pro peccato illo non liceat rogare. Hic iterum dubitatione geminæ est occurrentum.

I. Quale hoc sit peccatum ad mortem? Crimen autem tale non est omne peccatum mortale, ut auctor libri de vera et falsa poenitentia, c. 4. putavit. Nam peccatum quod ibidem dicitur, *non ad mortem*, etiam vita privare dicitur : *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem.* Repugnat etiam huic expositioni consuetudo Ecclesiæ, quæ pro peccatoribus frequenter preces fundit. Neque etiam peccatum ad mortem est eorum, qui in peccatis suis usque ad mortem perseverarunt, ut SS. AUGUSTINO de corrept. et gratia, c. 12. n. 35., et GREGORIO L. 6. Moral. c. 31. videbatur; ante enim dixerat Apostolus : *Qui scit, fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, etc.*; ergo potest tale peccatum sciri, et discerni ab altero, adhuc vivente fratre : finalis autem impenitentia, nisi post mortem, cognosci nequit. Hinc non dixit : *Si quis scit fratrem suum peccasse.* Peccatum ergo ad mortem est, quod ob sui enormitatem est quasi immedicabile, saltem per ordinariam Dei gratiam, quæ dari solet. Ut etiam morbi et plagæ lethales dicuntur, quæ ægrotanti mortem corporalem via ordinaria inferunt, et quorum desperata est curatio. Tale peccatum esse quod in Spiritum sanctum committitur, docet Augustinus L. 1. de serr. Dom. in monte c. 43. (al. 22. n. 73.) Et Christus ipse Pharisæis in malitia obstinati prædictit Joan. 8. v. 24. *Moriermini in peccato vestro.*

II. Ut dubitationi alteri satisfiat, advertendum est, S. Joannem non prohibere absolute orare pro hujusmodi peccatore, sed per quamdam exaggerationem ad declarandum periculum talis peccatoris dixisse, *non dico, ut pro illo oret quis.* Ita S. Thomas in 2. d. 43. in fin. et q. 28. de Veritate a. 11. ad 8. et q. 3. de malo a. 5. ad 3. post S. Ambrosium L. de Poenit. cap. 8. et 9. (al. 9. et 10.) qui addit, non quemlibet de populo, at virum apprime sanctum esse aptum ad orandum pro hujusmodi peccatore. Quod Heli 1. Reg. 2. v.

23. innuit, his verbis : *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus ; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo ?* Non inquit : *Nullus orabit pro eo*, sed querendus est insignis Dei amicus, qui oret, qualis fuit Moyses, qui pro populo idololatrica oravit, et exauditus est, Exod. 31. v. 11. Probat hoc inductione Ps. 44. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo ?* et ait : *Non enim nullus, sed probatus habitabit,* etc.

Exemplo autem B. Stephani doctrina ista magis illustratur : nam hic pro persecutoribus suis oravit, Act. 7. v. ult. quos sciebat, blasphemia in Spiritum sanctum teneri : cum enim viderent tot prodigia et signa magna, quæ fecerat ipse in populo, nec possent resistere sapientiae et Spiritui, qui loquebatur; nihilominus dura cervice, et incircumcisio cordibus et auribus semper Spiritui sancto resistebant. Atqui non Saulum modo, sed alios etiam Stephani lapidatores hac ipsis preicatione veniam, gratiam et salutem adeptos fuisse, OEcumenius ex Patribus aliis testatur. De eorum ergo salute S. Martyr non desperavit : ne imprudenter pro eorumdem salute videatur orasse, ut ex S. Augustino supra laudato intelligimus.

Igitur sensus citati testimonii is est, quem S. Hieronymus L. 2. in Jovinianum (opp. t. 2. p. 372. B.) nobis aperit, precatioes pro peccato ad mortem per quam difficuler a Deo exaudiri : ac viros etiam sanctissimos pro peccatoribus hisce interdum frustra rogare, ut Deus Jeremiæ dixit : *Noli orare pro populo hoc : quia non exaudiem te.* c. 7. v. 16.

Inst. 2. Proverb. 1. v. 28. ait Deus : *Invocabunt me, et non exaudiem : mane consurgent, et non invenient me.* Et Ps. 17. v. 42. *Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret ; ad Dominum : nec exaudivit eos.* Jerem. 14. v. 12. *Cum jejunaverint, non exaudiem preces eorum,* etc. Ergo peccata quædam non possunt poenitentia expiari.

R. N. Cons. Loquitur Deus 1^o. de poenitentia quam post hanc vitam in die judicii et in inferno acturi sunt impii, qui Dei adhortationes in hac vita spreverunt : nam in eodem capite Proverbiorum præmittitur v. 24. *Quia vocavi et renuistis... Ego quoque in interitu vestro ridebo... Quando venerit super vos tribulatio et angustia. Tunc invocabunt me,* etc. Et Sap. 5. v. 3. *Dicentes intra se, poenitentiam agentes : Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum,* etc. Et Matth. 23. fatuae virginis sero venientes et admitti ad nuptias postulantibus, rejiciuntur. Et clarius Luc. 13. v. 23. *Cum intraverit paternosternas, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium, dicentes : Domine aperi nobis.* Et respondens dicit vobis : *Nescio vos... discedite a me omnes operari iniquitatis,* etc. 2^o. Quæ ex Davide, Jeremias et prophetis aliis adducuntur, videntur accipienda de invocatione Dei ad arcendas poenas, non vero de seria poenitentia, quæ culpas detestatur. Qualis etiam erat poenitentia Antiochi regis 2. Machab. 9., et Esavi, de qua Heb. 12. v. 17., qui jacturam tantum juris primogeniturae lugebat : nam statim ita proposuit : *Venient dies luctus patris mei, et occidam Jacob fratrem meum.* Gen. 27. v. 41.

Inst. 3. S. Paulus Heb. 6. v. 4. scribit, esse impossibile, eos, qui semel sunt illuminati, et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam. Illuminatio autem ista est baptismi sacramentum. Ergo peccata post baptismum commissa non sunt objectum poenitentiae.

R. 4^o. cum S. Hieronymo L. 2. aduersus Jovinianum (opp. t. 2. p. 343. B.)

lapsos post baptismum in peccata enormia rursus renovari est impossibile, seu valde difficile. C. est impossibile in absoluto rigore N. Impossibile interdum in SS. Scripturis idem est ac perquam difficile. Matth. 49. v. 24. ait Servator : *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum* : qui tamen modo ante dixerat : *Dives difficile intrabit in regnum cœlorum* : et mox discipulis mirantibus, *apud homines*, inquit, *hoc impossibile est*; *apud Deum autem omnia possibilia sunt*. Et licet Jerem. 43. v. 23., sicut æthiops colorem cutis suæ mutare nequit, ita Judæos non posse mores suos malos mutare, eo quod malefactis assuerint; tamen toto illo libro eos ad pœnitentiam hortatur, et veniam eis pollicetur. Alii aliter textum illum interpretantur, sed non ad mentem Apostoli. Igitur

R. 2º. cum SS. Chrysostomo, Thoma, et aliis in hunc locum, item Ambrosio L. 2. de pœnit. c. 2., Augustino, aut si quis auctor est, L. de vera et falsa pœnit. c. 3., Athanasio orat. de blasph. in Spir. S. (al. ep. 4. ad Serapionem opp. t. 1. parte 2. n. 13.) non longe a principio : Impossibile est, lapsos post baptismum renovari iterato baptismo, et consequi illam liberalem remissionem culpæ et poenæ, eo modo, quo in baptismo conceditur C. Impossibile est, eos per virtutem et sacramentum pœnitentiae veniam peccatorum et salutem obtinere N. Sensum istum ipsa Pauli verba nobis aperiunt : *Qui semel sunt illuminati*, i. e. baptizati : illuminari enim veteribus, baptizari est. *Rursus renovari* : renovari enim per baptismum. *Rursum crucifigentes* : nam baptismum esse symbolum mortis Domini, ait Apostolus Rom. 6. v. 3. Quod idem Heb. 10. v. 26. indicans : *voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia*, i. e. non alia mors Christi, quæ iterato baptimate repræsentetur. Hinc S. ATHANASIUS (loc. cit.) advertit, non dici a Paulo, impossibile esse pœnitentiam, sed esse *impossibile per causam pœnitentiae quempiam renovari iterato baptimate*. Et S. JUSTINUS, si tamen harum quæstionum auctor est, quæst. 97. ad Orthodoxos, ait, licet in lege Evangelica unicum sit lavacrum, relinqui tamen relapsis spem salutis, si pœnitentiae remedio uti velint. Vide S. Thomam q. 84. a. 10.

Inst. 4. Sicut baptismus habet efficaciam suam ex passione Christi, ita et pœnitentia; ergo si baptismus non iteratur propter unitatem passionis ac mortis Christi, nec iterabitur pœnitentia.

Ad hanc objectionem, qua et sacramentum pœnitentiae et virtus æqualiter impugnantur,

R. S. Thomas q. 84. a. 10. ad 3. et 5. negat conseq., aitque, baptismum habere virtutem ex passione Christi, sicut spiritualis generatio quedam cum spirituali morte præcedentis vite : statutum autem esse homini semel mori et semel nasci; ideoque baptismum semel tantum conferri, pœnitentiam autem posse iterari, quia virtutem suam ex passione Christi habet tanquam medicina. Et Christus Matth. 9. v. 12. se comparat medico, cuius est saepius recidivos sanare.

Sed potissimum rationem idem S. Doctor in argumento et conclusione hujus articuli, et a. 1. q. 86. reddit, benignam scilicet Dei voluntatem ex sacris litteris nobis manifestam: nam cum homo dum hanc vitam vivit,

semper sit in via, et peccatis obnoxius, ad divinam providentiam pertinebat, ei de medio consulere, quo peccatorum veniam consequi posset.

18. Obj. II. SS. Patres tradunt, pœnitentiam tantum semel esse concedendam : ut Ambrosius L. 2. de Pœnit. c. 10. (opp. p. 436. C.), Augustinus epist. 53. et 54. (al. 152. et 153.), Clemens Alex. L. 2. Stromatum, Chrysostomus hom. 1. in epist. ad Ephes. (opp. t. 11. p. 6. F.). Item Tertullianus L. de Pœnit. c. 7., Origenes hom. 13. in Lévit. (opp. t. 2. p. 262. C. edit. Ruæi.). Ergo peccata hanc pœnitentiam consequentia non pertinent ad objectum pœnitentiae.

R. D. A. Patres semel tantum pœnitentiam publicam et solemnam concedunt C. concedunt tantum semel pœnitentiam privatam virtutem vel sacramentum N. Ritus pœnitentiae publicæ olim ab Ecclesia injungebatur peccatoribus gravioribus ac notoriis ad publicam satisfactionem et ædificationem, idque semel tantum ad majorem terrorem, tum ne iterata sperneretur, tum etiam ne scandalo ceteris esset, qui saepius pœnitentiam egisse notaretur. Certo autem constat, præsertim e Syrici Papæ decretali 1. c. 5. (al. epist. ad Himerium Labb. t. 2. p. 1019. A. B.) relapsos post publicam pœnitentiam privatum posse pœnitire, eisque absolutionis sacramentum debere impetriri.

19. Obj. III. Si Deus Petro revelaret decretum, nullum ei peccatum remittendi, et hic culpabiliter nollet credere hanc esse revelationem factam : tale peccatum, cum Dei locutionem essentialiter veram et nullo modo fallibilem supponat, foret intrinsece irremissibile; ergo.

R. N. Supp. quod Deus possit ejusmodi nugatoria decreta, quæ hominem sanum etiam dedecent, condere, ex quibus apertæ contradictiones sequuntur. Nam si Deus diceret : *Nolo remittere Petro peccatum ullum intrinsece remissibile*, et Petrus culpabiliter revelationem hanc credere nollet, committeret peccatum remissibile et irremissibile in hac nugaci hypothesi. Est igitur manifesta repugnancia in complexo ex hisce tribus, videlicet ex decreto Dei de non remittendo peccato ullo, ex decreti hujus revelatione, et ex subsequentे peccato essentialiter connexo cum tali decreto. Deus enim nihil decernit non facere, nisi possilia.